

BILAGE VII: HET VERBLIJF VAN MERCURINUS DE GATTINARA TE SCHEUT
L516.

BRUSSEL, Kon.bibl.,hs 5764 (cat.3860),f. ~~21xx22~~. 87v-88v.

Item anno domini xv^c xvii die mensis Augusti venit ad domum istam ma-
nificus dominus Mercurinus de Gattinaria ex dominis de Arboreis dioc-
cesis Vercellencis utrusque iuris doctor, egregius miles in armis
presidens Parlamenti comitatus Burgundie. Iste dominus Mercurinus fec-
erat perantea votum visitandi terram sanctam et sepulcrum nostri
Domini nostri Jesu Christi, sed propter senium et alias / causas fre-
tus concilio doctorum illud votum mutavit de consensu summi Ponti-
ficis ac confessoris sui ut ageret paenitentiam in aliquo monasterii
per dimidium annum et aliquo loco segregato et interim visitaret
sepulturam domini quae est circa Mediolanum quod et fecit et sic
mansit in hac domo usque ad principium Maii. Interim predictus domi-
nus vacavit studiis et orationibus et multum exemplaris in verbis
ac moribus ac totus humilis fuit. Qui videns ambitum imperfectum de-
dit prima vice II^c renenses ad perficiendum dictum ambitum et brevi-
ter postea adhuc II^c raenses ex quibus media pars ipsius ambitus est
perfecta et completa. Idem dominus dedit omni mensi pro expensis suis
ac duorum famulorum xxx renenses excepto viné q quod sibi providerat
semper de optimo quod invenire poterat feceratque sibi vestimenta al-
ba ac si religiosus fuisset. Interim idem dominus inimico generis h-
umani procurante qui semper bonis operibus invidet multa adversa
huius mundi passus est quia quendam processum de quodam castello in
burgundia amiserat et vasa sua argentea erant publice vendita ad con-
fusionem et scandalum ipsius per presidentem Mechlinie sed semper in
omnibus patientissimus fuit. Et postea emulix sui sollicitaverunt do-

minam de Sabaudia id veniret ad servitium suum qui nullatenus acquievit sed poenitentiam sibi iniunctam et terminum ac dimidii anni perficere valuit quamque eadem domina eidem pluries scripsit quod ipsa pro eo responderet. Qui nullatenus acquiescens suum propositum et intentum perficere voluit potius eligens affligi propter Christum quam timore secularis damni aut honoris alicuius officii aut servitii privari et ^{de} honestari. Postea misit domina de Sabaudia ad dictum dominum mercurinum domnū decani de Poligni et eleemosinarium suum ut renunciaret officio presidentiae suae in manibus dictae dominae et illi daret quinque millia francorum. Qui remuens noluit hoc facere nec voluit absolvi a dicto officio quod sibi Imperator dederat et non Domina. Nec etiam promeruerat absolvi a dicto officio quia sine justa causa noluit absolvi, tamen invalescentibus quibusdam suis emulis qui apud dictam dominam eius absolutionem sollicitaverunt, tandem fuit absolutus a dicto officio, sed semper mansit patiens ac votum suum implevit. Tandem voto completo perrexit versus Mechliniam versus eandem dominam /v quae benigne eum recepit sed tamen ab officio presidentiae non admisit nec ipsa domina alium instituit unde consiliarii de Burgundia scripserunt domine quod male egerat ipsum a dicto officio absolvendo. Tandem accipiens licentiam a dicta domina anno XV^cXVIII, post pascha rediit ad domum istam et feria secunda Pentecostes perrexit visitare s. Adrianum apud Geraldimontem et feria tertia in Pentecostalibus perrexit idem Dominus versus imperatorem M Maximilianum cum septem equis et veniens apud ipsum imperatorem magnifice ab eo fuit receptus et ab ipso ordinatus orator suus et consiliarius stipendiatus cum mille florenis aureis annuatim. Deinde ab ipso domino imperatore idem dominus mittitur ad ducem Sabaudiae et ab eo etiam gracie receptus est. Insuper deo disponente ab hac luce emigravit d. Johannes Sauvaige cancellarius ill. Regis Hispanie quo

defuncto misit idem rex catholicus tres nuncios ad dictum domnum Mercurinum ut ad ipsum accederet et acceptaret cum honore officium cancellariatus non tamen idem dominus hoc petiit vel aliquos ad obtinendum dictum officium pro eo informavit ad intercedendum pro eo aut rogandum sed solo nutu Dei ac gratia gloriosae virginis Mariae de Gratia ac orationibus fratrum confidens idem dominus sibi istud officium provenisse sperat. Qui non ingratus de dicto beneficio ordinavit ex sua benevolentia duo millia francorum ut exinde fieret ecclesia religiosorum quae iam ultra quinquaginta annos est incepta et propter paupertatem dictae domus nullatenus potest fieri nisi adiutorio aliquorum bonorum virorum et sic sperandum est quod Deus adiuvabit nos per suam gratiam. Oremus dominum ut ipsum dominum conservet quia sperat adhuc eandem ecclesiam perficere. Tempore quo idem dominus in hac domo fuit plures gratias conventibus fecit tam in vino quam in piscibus. Et ipso recedente dedit xii aureos pro solatio fratrum. Insuper tunicam suam albam dedit priori et pelle eiusdem tunicae vicario et procuratori mediatim uni et mediatim alteri qui ambo inde fieri fecerunt tunicas bonas et utiles. Haec preterea scribo ut posteri nostri sciant quantae pietatis et benignitatis idem dominus apud nos fuerit. //